

IX

AD T. VALGIVM RVFVM

Strophe Alcaica

Nōn semper imbrēs nūbibus hispidōs
Mānant in agrōs ; aut mare Caspium
Vexant inaequālēs procellae
Ūsque ; nec Armeniīs in ōrīs,

Amīce Valgī, stat glaciēs iners
Mēnsēs per omnēs ; aut aquilōnibus
Quercēta Gargānī labōrant
Et foliīs viduantur ornī.

Tū semper urgēs flēbilibus modīs
Mystēn ademptum ; nec tibi Vesperō
Surgente dēcēdunt amōrēs,
Nec rapidum fugiente Sōlem.

At nōn, ter aevō fūctus, amābilem
Plōrāvit omnēs Antilochum senex
Annōs ; nec impūbem parentēs
Trōilon, aut Phrygiae sorōrēs

Flēvēre semper. Dēsine mollium
Tandem querellārum ; et potius nova
Cantēmus Augustī tropaea
Caesaris, et rigidum Niphātēn,

Mēdumque flūmen, gentibus additum
Victīs, minōrēs volvere verticēs,
Intrāque praescrīptum Gelōnōs
Exiguīs equitāre campīs.